

80 DE BELLO GALLICO

cio se suosq; prohiberent. Aduatici (de quibus supra scripsimus) cum omnibus copijs auxilio Neruijs uenirent: hac pugna nuntiata ex itinere, domum reuertunt: cunctis oppidis castellisq; desertis, sua omnia in unum oppidum egregie natura munitum contulerunt. Quod quum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes, despectusq; haberet: una ex parte leniter accliuus aditus, in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur. Quem locum duplici altissimo muro munierant: tum magni ponderis saxa, et praecutatas trabes in muro collocarant. Ipsi erant ex Cimbris Teutonisq; prognati, qui cum iter in prouinciam nostram atq; Italiam facerent, his impedimentis, quae secum agere, ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiae ex suis, ac praesidio, sex milia hominum unam reliquerunt. Hi post eorum obitum multos annos a finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent, consensu eorum omnium pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt. Ac primo aduentu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant, paruulisq; praелиjs cum nostris contendebant. Postea uallo pedum duodecim, in circuitu quindecim millium, crebrisq; castellis circummuniti, oppido sese continebant. Vbi uineis actis, aggerem extructo, turrim constitui procul uiderunt, primum irridere ex muro, atq; increpitare uocibus, quod tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur. Quibus nam manibus aut
qui